



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum X. Si Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Norandum primò. Aquam, qua Ecclesia violata, si consecrata fuit, reconcilietur, cum vino & cinere, ut vult *cap. 4. hoc tit.* ac sale, ut vult Rituale Romanum, benedictum esse debere ab Episcopo loci reconciliandi, vel ex eius commissione ab alio Episcopo, prout ex *hoc cap.* colligunt Authores; ubi etiam habetur, quòd reconciliatio talis Ecclesie fieri non possit per simplicem Sacerdotem, quamvis aqua ab Episcopo benedicta esset, sed fieri debeat à proprio Episcopo, vel ex huius commissione ab alio Episcopo; cum ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut ait Pontifex, qualis est reconciliatio Ecclesiarum, simplici Sacerdoti committi non possint ab Episcopo. Et quamvis summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis, quam habet circa res tales Ecclesiasticas, concedere possit facultatem simplici Sacerdoti, reconciliandi violatas tales Ecclesias, per aquam ab Episcopo benedictam, quam Gregorianam dicunt; & de facto Ordinum variorum Prælati hanc licentiam, siue hoc privilegium habeant, per aquam etiam à se benedictam, si duabus diæcis distet Episcopus, usus tamen huius privilegij iuxta verborum tenorem moderandus est.

Norandum secundò. Si Ecclesia tantum benedicta sit, vel autoritate Episcopi, ad divinum cultum, aut consecrationem deputata, ea tamen ante Consecrationem violetur, potest etiam simplex Sacerdos, aqua lustrali à se benedicta eam reconciliare, prout ex *cap. ult. hoc tit.* colligitur, ubi dicit Pontifex, Ecclesiam talem violatam protinus lavandam esse aquâ exorcizatâ, ne divinæ laudis organa suspendantur; expressus sine dubio, quòd per Episcopum hæc reconciliatio faciendâ sit, aut per aquam ab ipso benedictam, si necessarium hoc putasset in ceteri hæc Ecclesie nondum consecratæ reconciliatio: conveniens tamen est, ut Episcopo hæc violatio significetur prius, quam reconciliatio fiat à simplici Sacerdote. Videatur *Theol. Moral. L. 6. ca. 5. n. 12.*

Norandum tertio. Dicere Pontificem, quamvis praxis Bracharensis Ecclesie circa reconciliationes per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi factas, corruptelapotiùs dicenda sit, quam consuetudo (& consequenter hæc tales reconciliationes nullæ sint, tanquam à non habente potestatem factæ) toleraturum tamen se misericorditer, quod per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi (quæ nulla tamen fuit) circa has reconciliationes factum fuerit; non quidem, quòd factis talibus voluerit aliquam auctoritatem impendere, ut quod ab initio invalidum fuit, valeat, sed quòd ab eo tempore, quo indulgentiam talem concessit, valere inceperint hæc reconciliationes, ita ut nova per Episcopum faciendâ non esset reconciliatio, prout etiam *Glossa* notat *hic V. toleramus.*

CAPITULUM X.

Si Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Cum Capit. hoc loquatur de modo Ecclesiam violatam reconciliandi, de quo superiore Cap. locuti sumus, nulla videtur necessaria ulterior illius expositio: innuit quidem, etiam violari Ecclesiam humani seminis effusione (si notoria sit scilicet & illicita) videri tamen possunt de hac violatione Theologi Morales.

CAPITULUM VNICVM

in Sexto.

Si Ecclesiam.

PARAPHRASIS.

Quòd violatâ Ecclesiâ violetur etiam cæmeterium illi contiguum (tanquam accessorium cum suo principali) ut fidelium nemo in eo sepeliri possit, antequam reconcilietur, in *hoc cap.* asserit Bonifacius Pontifex (de quo in *cap. 7. in antiquis* *Uuu* *bis*)